vel alias quaslibet gemmas preciosas multipliciter describit. Videmus quidem
quod horum omnium nichil ibi est: et tamen nichil omnino deesse potest. Talium namque nichil
ibi est per speciem: et tamen totum est per similitudinem. In his omnibus littera undique
sue utilitatis Bala deseruiat: quandoquidem horum omnium memoriam et quando
voluerit pro voto representat. Hec et statim cum volumus imaginari
possumus. Numquam imaginacio racioni utilior esse poterit: quam cum ei in
tali obsequio deseruit. Sed iam de Bale filiis que dicenda sunt prosequamur.
Sciendum est quod imaginacio alia bestialis. alia racionalis. Bestialis autem
inter filios Iacob annumerari non debet: nec talem aliquando Rachel ad
obtinendum sibi filium facere vellet. Bestialis itaque imaginacio est quando per
ea que paulo ante vidimus vel fecimus. sine ulla utilitate absque omni
deliberacione. huc illucque vaga mente discurrimus. Hec utique bestialis
est: quia et hanc bestia facere potest. Racionalis autem est illa. quando ex his que per sensum
corporeum novimus: aliquid imaginaliter fingimus. Verbi gratia. aurum
vidimus. domum vidimus. auream autem domum numquam vidimus. Auream
autem domum imaginari possumus: si volumus. Hoc utique bestia facere
non potest: soli racionali creature hoc possibile est. Huiusmodi imagina-
cione sepe utimur: cum que sint future vite bona vel mala diligencius ri-
mamur. Nusquam hic sola bona. nusquam hic sola mala: sed permixta simul
et bona et mala. Videmus quoniam in utroque genere sint multa. numquam
tamen inveniuntur sola. Ibi inveniri possunt et bona sine admixtione ma-
lorum: et mala nichilominus sine admixtione bonorum. Item hic sicut nec
sola: sic nec summa invenimus. Ibi et summa et impermixta bona et
mala esse non dubitamus. Quociens igitur ex multis malis vel bonis que in hac
vita sensu corporeo experimur quale vel quantum possit ultra esse future vite
summum bonum vel summum malum colligimus: et ex horum imaginacione quandam
futurorum imaginem figuramus. talis utique imaginacio racionalis esse facile
convincitur: et ad Bale et ad Rachel pertinere videtur. Ad Bale pertinet
in quantum imaginacio est: ad Rachel autem in quantum racionalis est. Talis itaque